

Cl. 187.

14





Q. 187.

III. 648

ACTA

IVLII PFLVGII

EPISCOPI NVMBVRGBENSIS

IN CAVSSA RELIGIONIS

PERCENSET

ET

INAVGVRATIONEM RECTORIS

SCHOLAE EPISCOPALIS CIZENSIS

INDICIT

FRIDERICVS IMMANVEL SCHWARZIVS

S. S. THEOL. D. SVPERINTENDENS ET CONSISTORIALIS

CIZENSIS, SCHOLAE EPHORVS.

EISENBERGAE,

EX OFFICINA WALTHERIANA.

BIBLIOTHECA
DOMINICANA



IVALL PELVIGII

EPISCOPI NIMBURGENSIS

IN CAUSA RELIGIONIS

REVERENDI

ET

EXAGGERATIONEM RECTORIS

SCHOLAE EPISCOPAE CENSURIS

INDICIT

FREDERICVS IMMANVEL SCHWARZIVS

S. S. THEOL. & SACRILEGUM ET CONSISTORIALIS

OFFICII, SCHOLAE EPISCOPAE

EMERITUS

EX OFFICINA WILHELMII

WILHELMII





§. I.



Sacrorum in ecclesia Christiana repurgatio a veritatis euan-
gelicae instauratione ac propagatione coepta, quum
diuinis auspiciis procederet, ac indies longius latiusque
flueret, atrociores hostes, et qui cursam rerum et
exitum obice quasi claudere magis anniterentur, non offendit, quam
Episcopos, sagaces profecto homines, qui veritate luci publicae
exposita, de potestate, auctoritate, opibus suis actum fore, facili
coniectura augurari poterant. Restiterunt igitur quibus modo con-
filiis, artibus, persuasionibus, machinationibus, quin et armis po-
terant. Etenim praeter LAURENTIVM a BIBRA, *Herbipolensem*,
qui Luthero optime cupiit, eiusque consilia de emendanda ecclesia
valde probauit, HERMANNVM *Colonensem*, qui sacra repurgata am-
plexus ea per ecclesias suas propagare satagit, sed ob id a Carolo V.
breui manu sede sua motus est, et PETRVM PAVLVM VERGERIVM
CAPVENSEM Episcopos, qui ad castra Lutheranorum transit, vel
vnum nominare difficile est, qui Euangelium consensu suo probauerit,
et ab ira et atrocissimis iniuriis in Euangelicos vulgo sic dictos
sibi



sibi temperauerit, quippe quos immani odio persequi, et si modo licuisset, prorsus delere studebant. Idem, quod mireris, consilium fuit, tribus in Saxonia Episcopis, Misnensibus, Martisburgensibus, ac Numburgensibus, qui luce Euangelii, ipsis proxime exoriente, reliquis citius collustrari potuerant. Horum nemo tam a consiliis, quam ab inimicitiis aduersus antiquae fidei luci suae denuo redditae confessores se abstinere potuit; scribunt omnes aduersus veritatem euangelicam, eiusque doctrinam publice in ditionibus Saxoniae propositam, prohibent omnes lectionem librorum, quibus veritas euangelica illustratur, Lutheri inprimis, obsistunt omnes et principi et ciui Saxonico, sacra a labe purgata et amplexo et amplexuro, quam ab causam Lutherus de Episcopis Saxoniae, veritatis osoribus, Euangelii hostibus, et bonae causae aduersariis et obtrectatoribus acerbe conqueritur. Hos tamen omnes studio romanarum rerum et cupiditate antiqui erroris superare visus est, et sane videri voluit IULIVS RFLVG, Episcopus Numburgensis, qui, quod causae Lutheri et veritati Euangelicae vterius progredienti obesse poterat, intermisit nihil. Reliqui enim intra fines Circuli sui se continuere, satis esse rati, si Euangelium a suis arcerent ecclesiis. Hic vero apud Caesarem et proceres imperii consiliis suis id efficere studuit, vt vi et armis Lutherani reprimerentur; hic ore et calamo, domi et foras doctrinam euangelicam oppugnauit; hic vbicunque aduersus Lutheranos et rem Lutheranam agi videbat, vbicunque in imperio romano acies aduersus Lutheranos instruebatur, aduersariorum causae nostrae semper antesignanus et haberi et comparere sibi honori duxit, et partes suas in tuenda defendendaque causa pontificiorum praecipuas esse voluit. Qui cum vere magnam nominis famam consecutus sit, et multa ad omnem posteritatis memoriam insignia gesserit, partesque suas strenue egerit, operae pretium me facturum esse duxi, si tanti viri res gestas in causa religionis, hic, vbi vixit, vbi vitam cum morte commutauit, vbi cineres eius asseruantur, vbi tumulum eius eundo attingo, quoties in suggestum sacrum eundum est, vbi monumentum eius

eius ante sacrarium templi olim episcopalis nunc principalis positum, quotidie fere oculis conspicio, repetere, et in memoriam hominum, qui urbem IVLIO olim per dilectam incolunt, reuocare.

§. 2.

Poterat omnino patrociniū causſae pontificiae in se ſuſcipere IVLIVS, omnibus quippe copiis ad id neceſſariis, litteris, ſcientiis, prudentia, dicendi arte, alacritate animi, grauitate, principum amicitia, qua apud eos plurimum valebat, ſplendida denique Episcopi dignitate inſtructus, de quo Lutherus, male licet ab eo habitus, pronunciauit, eum ratione, prudentia, arte, aliisque dotibus naturae tantum valere, quantum ad ſuſcipiendum gerendumque pontificatum fatiſſe poſſit, et apud aequos rerum iudices tantum non omnes id conſecutus eſt, *vt magnum ac proſuſ ſingulare Germanicae nobilitatis decus audiret.* Hic de antiqua generis nobilitate merito gloriari potuit, natus Caefare Pflugio, equite aurato, in praedio Eythra, in agro Episcopatus Martisburgenſis, patre qui plurimum gratia apud Ducem Saxoniae Georgium Barbatum valuit, Luthero vero male audit, quod hic vberius repetere nolo. Iulius Lipſiae, in nobiliſſima bonarum litterarum mercatura, litteris ſtrenue et cum laude operam dedit, viros ibi inſignes, praeceptores, et in his inprimis Lipſienſis academiae tum excelsum decus *Petrum Moſellanum*, virum de litteris priſtino decori ac nitore ſuo reſtituendis immortaliter meritum, ſtudiorum ducem naſtus, dignus proſecto tanto doctore diſcipulus, qui et huic monumentum aeri incuſum in aede Diui Nicolai poni curauit, quod paſſim in ſcriptis virorum eruditorum legitur, deinde vero in academia Patauina, ideo quod communi tum quidem opinione, Italiam peregrina ingenia melius formare, crederetur, et illuſtrium Iureconſultorum copia abundaret, *Lazarum Bonamicum* eloquentiae Profeſſorem, virum celeberrimum, cum fructu audiuit, mox Iurium doctor creatus, et in collegium canonicorum Moguntiae, Miſniae et Numburgi cooptatus, quorum poſtremum dignitate episcopi eum poſt



PHILIPPI Bauariae ducis, Frisingensis atque Numburgensis Episcopi excessum ornat, qua tamen illum princeps Elector Saxoniae priuat, Caesar vero, qui partes eius defendendas tanto in se susceperat studio tantaque cum animi contentione, vt restitutionem petenti asseueraret: *tua caussa erit mea*, post cladem Mühlbergensem, NICOLAO ab AMSDORFF pulso, iterum ornat; quam rem ab vltimis originibus suis repetere, vt ab instituto meo alienum, ita minus iucundum est, quia bonis viris quam plurimis, quid? quod et patriae calamitosa fuit. Nostris potius finibus nos continemus, et quaenam partes fuerint Iulii in caussa religionis, et quomodo eas egerit, ex historiarum monumentis repetimus, vt de ingenti eius studio, ecclesiam romanam defendendi, paulo vberius ac rectius constet.

§. 3.

Id sibi statim ab initio sumfisse videtur Iulius, vt in caussa religionis pontificiae defendenda, Euangelicae oppugnanda, primas teneret, vbicunque enim caussa religionis acta, ibi et Iulius noster. Cui operi se non imparem esse sensit, in eo partim non inani eruditionis conscientia, partim doctissimorum illius aetatis Melanchthonis, Camerarii, quibus aequae ac Hutteno et Mosellano, quod pari studio latini sermonis et eloquentiae romanae decus quam optime tueri sint annisi, a Cel. AYRERO in *animaduersionibus ad Blackwallum* iungitur; ac denique Erasmi Roterodami amicitia, partim denique, quo flagrabat, amore doctrinae receptae, et fictae antiquitatis sigillo munitae, confirmatus: Vbicunque igitur occasio ferebat, noster in arenam descendit, periculum facturus, num disputando contra Euangelicos aliquid effici, in religionis pontificiae commodum posset. Inprimis vero tum in conspectum omnium prodiit, cum de concordia et restringendo dissidiorum Pontificios inter et Euangelicos ardore agi animaduerneret, ad id tum opinione, hac via tutius et plurima cum vtilitate ecclesiae procedi posse, tum manifesto syncretismi studio, de quo deinceps, adductus. Igitur cum spes affulgeret, fore,

vt



vt grauissima FERDINANDVM inter et IOH. FRIDERICVM diffidia pace omnino tollerentur, et cum ea simul spes conciliandi controuersias in religione augetur, missique essent anno MDXXXIV. tam ab Electore Moguntino et Duce Sax. Georgio, quam ab Io. Friderico El. theologi et oratores Lipsiam, vt ibi de pace inter vtramque partem consilia agerentur, *Iulius* noster et Georgius a Carlowitz a Georgio missi, cum Melanchthone et Pontano, Ioh. Friderici oratoribus congressi sunt.

Disceptatum ibi fuit super capitibus fidei secundum ordinem articulorum A. C. relictis tamen tribus prioribus articulis potissimum de fide, de iustificatione, ac de missa; parum vero a Iulio actum cum praeter historiam praesentiae eius in actis nihil de eo extet, sed soli Moguntino oratori D. VERO causa eiusque praesidium relictum esse videtur, praeter quem et Melanchthonem nemo aliquid vel dixit vel egit, et tandem res successu caruit, quia et hic Pontificiis id consilii fuit, vt errorem errore lenirent, et, testante historia, formulam saltem transactionis quaerere, per quam errores suos conseruare, et tegere possent. Ita discesserunt.

§. 4.

Haud ita multo post orta est ecclesis per marchionatum Misnensem, extincto GEORGIO cum filiis anno MDXXXIX, lux Euangelii, HENRICO PIO scepra capeffente. Hic quoque IULIVS veritati Euangelicae restitit, quantum potuit. Finis erat persecutionum dirarum, et cruentarum aduersus Euangelii confessores, nec HENRICVS, suadente id et iubente Euangelio, par pari referebat, Pontificiorum enim odio, minis, poenis, exilio prosequabatur et afficiebat neminem, pacate et sine tumultu peragebantur omnia. Ad eiurandos errores et spondendum Euangelio obsequium coactus nemo. Neque tamen pertinacia in retinendo errore apud multos ex ordine Clericorum deprehenfa est, paucissimi enim eorum, affirmante SECKENDORFFIO, reformationi repugnare ausi sunt. Ausus tamen est IULIVS, consueta
cum



cum animi commotione et vehementia. Inter primores vnum fuisse Iulium Pflug Decanum Misnensem et Canonicum Numburgensem, repertum fuisse, qui vetus institutum aperte retinuerit, idem refert, sed iusto mitius de eo iudicat, *meliora forte mente illum iudicasse* putans, id quod euentus haud comprobauit. Quid sibi post mortem Georgii instet, mature coniciebant Episcopi. Ad auertendam igitur visitationem Episcopatus sui, Episcopus Misnensis tale cepit consilium, vt libellum de doctrina Christiana offerret Principi, quo ipsi persuaderet, alia ac vltiore reformatione opus haud esse, quam quae ab ipso Episcopo, teste hoc libello iam coepta sit, qui titulum in fronte gerebat: *Eine gemeine christliche Lehre in Articuln, die einem Christen zu wissen von nöthen*, et expositionem primi et secundi articuli Catechismi complectebatur. Adest, qui semper, IULIVS, et libellum, ingenii sui, vt maxima cum veri specie creditur, foetum, comitantibus eum BENNONE ab HEYNITZ et HENRICO a BÜNAV, Canonicis, pio principi die IX. Iunii offert, qui illum ad Pr. El. Ioh. Fridericum transmittit, a quo Theologis Wittenbergensibus traditur, a quibus vero hac censura notatus est: *Es sey der meißnischen Pfaffen Gedichte, welches mit Wittenbergischen Federn schön prange, aber voll Giffte stecke, und Gottes Wort misbrauche zu vermäntelung der Lästierung und Verfolgung*. Repudiato igitur libello deuentum est ad lustrationem, seu visitationem episcopatum in ditione pii principis, sed non tam cito ventum est Misnam, quam cito conatus legatorum principalium reprimere ausus, nec se a proposito dimoueri passus est IULIVS praesentia principis, Henrici Ducis, illuc d. XV. Iulii profecti; eo enim Decano et Henrico Carlowicio Canonico interpretibus mentis suae vsum est Capitulum, qui significarent, se reformationi assentire haud posse; aegre enim ferebat Capitulum Henrici pii conatus vel ideo, quod denegabat principi ius reformandi in territorio suo temporali, et solummodo ius protectionis concedebat, iura sua ac priuilegia, quibus tanquam status imperii gaudeat, praetendens. Interim haec nihil morabantur principem, quo
minus



minus cultum idololatricum ad monumentum Bennonis Episcopi quondam Misnensis, quindecim ante annis solenniter per apotheosin gentili impietati proximam, consecrati haberi solitum tolleret, eiusque sepulchrum, insigni, inquit SECKENDORFFIVS, ex Archiuis talia edoctus, cum IVLII PFLVGII et aliorum offensa, id quod tam prudente tamque erudito viro indignum certe fuit, multo vero indignius, quod haec res ad Imperatorem inter alias de principe Electore Ioh. Friderico et Duce Henrico querelas odiose pariter ac calumniose ab eo delata est. Sed eo acerbius tulit eam monumenti BENNONIS destructionem, partim quod apotheosis noui illius Sancti maximam partem debebatur Episcopo Numburgensi IOANNI, cui vna cum Abbatibus Cellensi MARTINO et Buchensi MATTHAEO id negotii datum erat ab Alexandro VI. P. M. vt de meritis et miraculis Bennonis inquirerent, quamobrem Cizae conuenerunt tres illi, et mandato Pontificis obtemperarunt, multaque miracula et merita Bennonis Papae nunciarunt, quo facto Adrianus VI. die 23. Maii, 1523. illius apotheosios tam anxie quaesitae opus perfecit; partim vero quod IVLII nostri parens CAESAR PFLVGIVS solennitati canonisationis, dignitate legati GEORGII ducis Sax. vna cum IOH. WERTHERO fungens, Romae interfuisset. Misnae non solum, sed etiam Cizae reformationi obuiam iuit. Quantum reformationi sacrorum et Euangelii progressui restiterit IVLIVS Cizae potissimum, quae ciuitas ingenti desiderio Euangelii, id quod ei merito summae laudi ducendum est, tum quidem flagrabat, copiose exponit Ill. SECKENDORFFIVS *Hist. Luth.* lib III. Sect. 25. § XCVI. (12). Iam ante eum PHILIPPVS Episcop. Frisingensis et Numburgensis desiderium huius ciuitatis, audiendi Euangelium, magno conatu reprimere studuerat, denegatis semper, flagitantis licet et anxie ab eo petentis concionatores Euangelicos, precibus; quae res tandem permouit Senatium Cizensem, vt IOH. FRIDERICI El. Sax. opem imploraret, qui tam apud HENRICVM Ducem Sax. id se effecturum pollicitus est, vt moniales Cizenses, penes quas erat, vocare Pastorem aedis S. Michaelis

B

lis



lis, ad alendos concionatores Euangelicos, adigerentur, retentis earum redditibus, quos haberent in ditione HENRICI; quam Senatui, id precibus suis sollicitè efflagitanti, et Pastorem aedis S. Michaelis EBERHARDVM BRISGERVM, tum Pastorem Altenburgensem, munus id die 9. Nouembris MDXXXIX. auspicatum, et Diaconum M. IOH. CRAMERVM misit. Nunc eo magis restitit IVLIVS propagationi Euangelii per urbem Cizensem, quo laetiozem et exoptatiozem eius lucem ciuibus esse animaduertebat. Non solum enim non repressit furozem Pastoris sui catholici in aede S. Nicolai, Euangelicos calumniantis, sed etiam senatui alium, eumque Euangelicum concionatozem petenti, preces denegauit. Ita enim SECKENDORFFIUS ex actis rerum gestarum rem illam memoriae prodidit: *Cum vero in altera urbis parochia ad D. Nicolai quidam Matthaues Bock, a Iulio Pflugio Praeposito Cizensi, Patrono illius aedis, constitutus, acerbis declamationibus in concionatozes templi Michaelitani debaccharetur, Senatus, praecauendi tumultus causa, aedem Nicolaitanam occludi fecit, et Pflugium rogauit, ut Euangelicum concionatozem aedi praeficeret, vel ius Patronatus Senatui conferret; verum is vtrumque d. 6. Ian. 1540. modesto quidem stylo recusauit.*

§. 5.

Perspecta interim IVLII mente, et factis fat multis comprobata non tam constantia, quam pertinacia in retinendo defendendoque pristino errore, nec non contradicendi ac resistendi reformationi alacritate ac pruritu, et rem romanam iuuandi studio, adhiberi coepit ad negotia in causa religionis summi momenti. Agebantur tum consilia, dissensiones principum et controuersias Theologorum per colloquia inter viros doctos, prudentes et disertos habenda, amice dirimendi ac tollendi. Inter hos igitur, qui stabant a parte Pontificiorum, semper IVLIVS. Dubio fere caret, id tribuendum esse summo Caesaris in illum fauori, cuius testes inter alia sunt litterae fiduciariae a Carolo V. iam mense Octobri anni MDXXXIX. per

IOAN-

IOANNEM VESALIVM ex vrbe Madrito ad Electores et Principes Germaniae, et inter illos praecipue ad Io. Fridericum Pr. El. Sax. datae, quibus significat, se iter in Germaniam parare eo potissimum consilio, vt de pace fancienda serio agatur, et vt ex *Vesalio* coram percepturi sint, quae mens, quale consilium, sit Caesari; quas litteras, modo ad Principes imperii missas, itidem ad IVLIVM misit, habentur enim in *tabulario ecclesiae romanae* saeculi XVI. ab immortali viro E. S. CYPRIANO edito, parte voluminis III. loco III. Nondum erat Iulius episcopus, nondum itaque dignitate principis ornatus, et nihilo secius idem honor, qui principibus, illi quoque habetur a Caesare, qui eum in significationem ac tesseram fauoris eximii, in iis litteris compellat: *Magnifice, sincere, dilecte!* Tulit tanti fauoris fructus, vt per omnem Caesaris vitam, ita potissimum anno proximo, quo ad COLLOQVIVM WORMACIENSE adhibitus est, quod Imperatori pergratus esset. Id ex voto euenit Iulio nihil non tentare suscipienti ad vnios dissidentium in religione animos, quod ex litteris eius ad MELCHIOREM ab OSSA Curiae prouincialis Lipsiensis praesidem, ICTum tunc temporis fama clarissimum die Mercurii post Vrsulae MDXL. datis, a SENFFIO in *Historia Reformationis Stolpensis* ex Autographo exhibitis patet. In his conuocationem concilii Imperatorem moliri, scribit, se tamen de successu actionum inter singulos de religione paululum dubitare, sed si consilium de cogendo concilio euentu destituatur, se perstare in sententia privatim ac familiariter cum *Melchione* communicata, de instituendo colloquio ac tentanda, communicatis inter vtramque partem consilii, reformatione, et dissidiorum compositione, per patres ecclesiae romanae Purpuratos *Salernitanum, Theatinum, Contarenum* et *Sadoletum*, quos pios, probos, prudentes et bonae conscientiae, nec non christianae reformationis cupidos esse compertum habeat, ad quos mittendi sint *Episcopus Viennensis* et D. IO. GROPPA, qui causam rerum illis exponant, ab iisque mandata accipiant, vt cum duobus vel tribus viris spectatis, prudentibus, humanis, et mansuetis



e Societate Protestantium in loco opportuno, qualem Tridentum esse putat, conueniant, et de tollendis vtriusque partis dissidiis serio agant. Sed hic quoque labor ex voto haud successit. Interim tamen ex parte voti sui, vt institueretur Colloquium inter dissentientes, compos factus est Instituto illo, de quo diximus Colloquio. Numeratur enim inter Consiliarios Moguntinos in Colloquio Wormaciensi secundo loco *Herr Julius Pflug Domberr zu Mayntz*, ibique, quod memoratu haud indignum videtur, aemulum postea suum in occupando Episcopatu Numburgensi, NICOLAVM ab AMSDORFF vidit, (si tamen non antea iam viderat in lustratione episcopatus Misnensis, de qua antea, cui interfuit AMSDORFFIVS, qui et in templo Cathedrali Misnensi tum pro concione dixit,) qui legatus Magdeburgensis ad Colloquium mittebatur, et in catalogo legatorum ad illud, qui eo venerunt, nominatur: *Magdeburgisch*: NICOLAVS AMSDORFFER, *Prediger*. Quamquam autem locum Consiliarii et legati Moguntini tum obtineret, inter illos tamen haud fuit, qui ad conferendos sermones seu instituendum Colloquium super fidei capitibus in controversiam vocatis electi sunt, sed in hac re cedere coactus fuit MICHAELI HELDINGIO Chorepiscopo Moguntino, postea Episcopo Merseburgensi, qui vna cum AMBROSIO PELARGO Theol. D. ord Praedicat. e Moguntinis ad rem illam gerendam delectus est. Nihil igitur memoratu dignum a Iulio ibi peractum, memoriae proditum est a scriptoribus, et praeter consilia collocutoribus Pontificiis data, et iudicia de Colloquio lata, nihil ibi ab eo gestum. Nec id mirum, cum disputandum ibi potissimum fuerit super ECCII, insulsi profecto hominis et ad alia quaeuis, quam ad dirimendas et placide componendas controuersias in ecclesia, nati, formula *de peccato originis et de iustificatione*, cuius fatuitatem et ineptias forte prudentia et gravitas IULII ferre haud potuit, quis enim ferre potuisset hominem ineptientem cum gloriaretur, *non posse ex India aptiorem formulam ad concordiam adferri, quam suam*, sed contudit factum inanis hominis, cum suffragia suorum pro hac formula extorquere conaretur, contentus

temtis suorum; repudiata enim est formula Ecciana tanquam inepta a tribus Statibus imperii Catholicis, legatis nimirum Palatini, Marchionis Brandenb. et Iuliacensis ducis, frementibus licet ECCIO et sociis, GROPPERO potissimum Colonienſe, qui eo audaciae proceſſit, vt Melanchthonem, cum ineptias Pontificiorum paulo liberius reſutaſſet, remouendum eſſe a diſputatione conſuleret, et inprimis GRANVELLO, qui impediuit Melanchthonem, quo minus ipſi reſpondere poſſet, et qui id ne tum quidem impetrare potuit, cum FRANCISCVS *Lüneb. dux* aſſeueraret, Melanchthonem modeſte reſponſurum eſſe, obiiciente GRANVELLO: *ſcio modeſtum eſſe, cum vult.*

§. 6.

Solutis Wormaciensibus ſuccedunt Comitia imperii *Ratiſbonenſia* anno MDXLI. habita, in quibus inter alia Imperator diſſidia in religione per modum Colloquii inter Theologos vtriuſque eccleſiae Wormaciae coepti, Ratiſbonae continuandi tollere, ſapientiſſimo quidem conſilio, pergit, ſed fruſtra. Adeſt ibi IVLIVS, locum Episcopi Miſnenſis Iohannis VIII. tenens, ſed locum eius inter imperii Principes, vti cupiebat et iuſſus erat ab Episcopo ſuo, haud obtinet, reclamantibus quippe Saxoniae Principibus, qui id ab Imperatore obtinuerant, vt Episcopis Saxonis locus inter Principes imperii occupandus negaretur, quo factum eſt, vt IVLIVS, cum Ordines imperii proſitionem Caefaris, ſuis quiſque locis ſedentes audirent, honore illo priuaretur, id potiffimum indigne ferens, quod inter aulicos Electoris Moguntini, in ſplendiſſimo imperii conſeſſu, flare ſe coactum videret. Interim tempeſtiue lenitur hic dolor, ex tanta indignatione conceptus, decreto Caefareo, quo princeps IVLIO locus inter collocutores de cauſa religionis in illis quidem Comitibus datur, cooptatis in eius ſocietatem D. IOH. ECCIO, D. IOH. GROPPERO et e Proteſtantibus PHIL. MELANCHTHONE MART. BVCERO. et IOH. PISTORIO. Exhibitus eſt collocutori-



bus a GRANVELLA insū Imperatoris libellus, auctoris incerti, vt
super eo colloquium institueretur, qui extat in operibus Lutheri a
Vener. WALCHIO collectis tomo XVII. ac vulgo *Interim Ratisbonense*
nuncupatus, MELANCHTHONI *Hyena* dictus, ideo quod in comi-
tijs istis in somno hyena sibi obiecta esset, quam, inuitus licet, a
Principibus describere iussus sit, et liber iste vere simillimus hyenae
esse videbatur, elegantissimo carmine ab ipso pictae:

Me iussere Duces fallacem pingere hyenam

Et monstri speciem proposuisse mihi.

Tetra erat ex variis moles confusa figuris,

Tectaue liuenti sanguinolenta cute.

Virginei vultus, sed torua micantia flammis

Lumina facuitiae tristia signa dabant.

A collo gemini pendebant membra Draconis

Scillaci tandem pars erat ima pedes.

Horrebam aspiciens, et toto corpore sanguis,

Ac paene extincto sanguine vita fugit.

Vt pingam tamen illi vrgent, non obsequor, aio

Iratus, pingi non bene posse pedes.

Quo ruitis proceres? qui mentes occupat error?

Cur templo infertis, talia monstra Dei?

Excutior somno, gelidus cum pectore manat

Sudor, et e subito membra pauore stupent.

Nonnihil hac moneor fortassis imagine: sed te

Christe rogo, vt placidus pectora nostra regas.

Optabant quidem A. C. focii, vt percurreretur Augustana Con-
fessio, caeterum, cum liber iste exhiberetur, aequissima, teste ac
iudice MELANCHTHONE, conditione, vt, quae non probarentur
Protestantibus, dicere liceret, et censuram adderent, et inciuile
videretur, nolle inspicere scriptum propositum ab Imperatore sine
iniquis conditionibus, conuenit inter omnes, vt liber legeretur et
ordine



ordine dicerentur sententiae, aegre tamen id postea ferente Pr. El. Sax. quod librum a Pontificiis scriptum et exhibitum accepissent Protestantes, ut norma esset et argumentum Colloquii. Hic IULIVS moderate se gessit, ideoque vna cum socio IOH. GROPPERO ab ECCIO stomachose et calumniose accusatus est, nimiae lenitatis, re vera autem prudentiam IVLII et GROPPERI sub censuram facis iniquam vocavit ECCIVS, clamorosus homo, quod non omnia deliramenta monachorum defendissent, et quosdam abusus tollendos esse sensissent; verum delata ad Imperatorem caussa, a Sapientissimo Caesare excusati sunt, IVLIVS et GROPPERVS, eorumque moderatio ac studium valde comprobatum. Redditus est liber, *Ratisbonensis* vulgo dictus, Imperatori, qui per IOACHIMVM March. Brandenb. compositionem reliquarum controuersiarum, de quibus non conuenerat inter disputantes, tentari iubet, sed et haec spes eum sefellit. Cum enim iussisset in consessu Principum sententias dici de libro, Dux Bauariae GVILELMVS non solum longam sociorum A. C. criminatorem recitat, sed etiam dum, quid de eo iudicent Pontificii, exponit, librum a Caesare oblatum prorsus reiicit, nullam vllius opinionis correctionem aut moderationem, nullam legum pontificiarum mitigationem admittendam esse censet, nihil concedendum aduersariis, quod discrepet ab vstitatis opinionibus aut ceremoniis caeterarum nationum, quae sententia mirifice se commendauit episcopis, tantum non omnibus, inprimis vero ECCIO, Caesari non item, qui frustra agi, quaecunque de pace ecclesiae sapienti consilio fuscipiebantur, et tanta cum moderatione, quanto cum veri studio agebantur, denuo non sine animi dolore intelligebat. Et sic, re infecta, soluta sunt Comitia per edictum Caesaris die XXIX. mensis Iulii.

§. 7.

Inchoato die 7. Ianuarii MDXLVI. Concilio Tridentino, et strepentibus iam iam armis, *Colloquium Ratisbonense secundum* a Caesare instituitur, cui IVLIVS post MAVRITIVM ab HVTTEN EPISCOPVM



SCOPVM EICHSTADIENSEM et FRIDERICVM *Comitem Fürstenbergi-*
cum sub finem fere admotus est tertius praefes, litteris Imperatoris
 tertio die Februarii Traiecti ad eum datis, quod callidis MALVENDAE
 consiliis factum esse creditur, vt Protestantibus praesentia PFLVGII,
 Principi eorum summo IOH. FRIDERICO El. admodum exosi eo ma-
 gis aegre fieret, aegre factum quoque esse, euentu comprobatum est,
 quibus munitus d. 25. Februarii Ratisbonam venit, vti videtur non
 aliam magis ob causam, quam vt testis esset solutionis huius quoque
 Colloquii die 20. Martii factae, cum euentus tantae quoque expecta-
 tioni haud respondisset. In hoc Colloquio a Pontificiis, MALVENDA
 inprimis Hispano Theologo, mutatio in A. C. facta, Euangelicis
 BVCERO maxime, verba pro suis facienti, probe obiecta est;
 erubescente BVCERO, cui tamen pergratae erant mutationes Melanch-
 thonianae in ea factae, cum MALVENDA manu teneret exemplar in-
 variatae A. C. et ab Euangelicis quaereret, *Essene haec confessio, cui*
insisterent Protestantes, et quam Caesari anno 1530. Augustae exhibuissent?
et respondente BVCERO, esse, pergeret, num etiam reiicerent scripta illa
omnia, quae essent huic contraria? hic haeret primo BVCERVS, deinde
 respondet, *damnare et reiicere.* Coeptum est deinde disputari ab arti-
 culo IV. A. C. super iustificatione; missis tribus prioribus, quae dispu-
 tatio protrahata est ad aduentum vsque IVLII. Sed cum ex hoc tem-
 poris momento Protestantes durius quam antea haberi coepissent, affe-
 rente IVLIO legem Caesaris, qua adimebatur illis facultas, quae acta
 erant et agebantur in Colloquio, ad Principes suos perferendi, et qua
 iubebantur, quaecumque ad Principes scripturi essent, ea prius censurae
 et iudicio praesidum subiicere, nec ante quam Caesar cognouisset, ali-
 quid alicui de iis aperire; praeterea vero probe animaduernerent
 Euangelici omnia frustra agi, detonantibus magis quam disputantibus
 Pontificiis, spe belli aduersus Protestantes decreti et mox illis indi-
 cendi, elatioribus factis, atque multo insolentioribus quam antea,
 maluerunt se manifesto periculo tempestiue subducere, et a Colloquio
 desistere, quam vltremo dolore ex machinationibus hostium et
 violentis



violentis consiliis percipere; venia igitur ab Electore Sax. impetrata abiturum parant, nequicquam a Praesidibus FVRSTENBERGIO et IVLIO, EICHSTADIENSIS enim Tridentum ad Concilium profectus erat, admoniti, vt diutius Ratisbonae haererent, et aduentum Caesaris expectarent. Verba horum sunt: *petimus a vobis, vt vestri officii memores in hac caussa tanta, et expectare responsum Caes. Majestatis, quam omnes merito obseruare debemus, et publicae vtilitatis rationem habere velitis. Id quod non modo per se gratum ipsius Majestati, sed a nobis quoque eidem studiose commendandum erit. Quod si stat vobis immota sententia, nec quicquam nomen officii ac sedulitatis nostrae a vobis impetrare potest, tum nos hoc scripto testatum esse volumus, per nos minime stetisse, quo minus satisfactum fuerit voluntati Caes. Maj. in continuando colloquio; sed vestra potius recusatione atque discessu desertum hoc tempore atque discussum fuisse; quibus subscriptum erat: Caesareae Majestatis Praesides in colloquio Ratisbonensi. Iulius electus et confirmatus Episcopus Numburgensis F. G. Z. Fürstenberg.* Statim deinde proh dolor! a verbis ad arma deuentum est, quibus veritati parum consulitur.

§. 8.

Haec Ratisbonae a IVLIO acta sunt, cum Episcopi Numb. quidem nomine et inter Pontificios quoque dignitate, nequaquam vero auctoritate, potestate, atque regimine gauderet. Restitutio tamen in episcopatum haud ita multo post facta est, quam certo certius futuram esse non ignorabant Pontificii, antequam fiebat, id quod ex litteris COCHLEI ad PELVGIVM d. 21. Febr. 1547. datis patet, in quibus, *spero Reuerendissimam Dignitatem tuam breui restitutum iri,* scribit; et eiusdem ad eundem litterae d. 17. Martii illius anni scriptae produnt, IVLIVM interim, dum bellum ardebat, Dresdam secessisse, quo consilio? haud puto obscurum esse posse historiae illius temporis gnaro. Reuersus post restitutionem in urbem et arcem Cizensem, vniuersam prope urbem Euangelii luce collustratam inuenit, quippe

C

quae



quae iam ante electionem et depulsionem eius ministros Euangelii in templo Michaelitano, vt dictum est, naeta fuerat, nec vnquam postea Pontificios sacerdotes et oratores in illud reduci passâ est. Moderate quidem tum temporis egit IULIVS, et a violentis consiliis sibi temperauit, curae tamen cordique ei maxime fuit instauratio cultus Pontificii vt alibi, ita potissimum in splendidissima aede episcopali ad arcem Cizensem, cui potissimum bonos doctores e Pontificiis hominibus delectos praefici, in votis habuit, de quorum tamen inopia in Epistola ad THEODORICVM ARTOPOEIVM V. Cal. Septembr. 1548, data queritur: *Egemus non alia re magis, quam bonis Concionatoribus, qui populum docendo salubriter pascere possint. Quod cum futurum praeuiderem, facile adductus sum, vt tibi munus docendi in hac Ecclesia mea assignare vellem. Quod ipsum si obiiisses non solum a me, quocum tibi vetus amicitia est, sed etiam a Deo Optimo Maximo magnam procul dubio gratiam iniuisses. Quod vero ad emolumenta tua atinet, ducentos aureos in singulos annos numerassem tibi, et victum item tibi atque famulo tuo suppeditassem. Quodsi victum noluiisses, additurus eram centum. Nec tibi pericula erant pertimescenda, quae multos mouent, et a regione hac, quam putant turbulentiorem esse, deterrent. Sedantur enim motus animorum nunc in dies magis ac magis, et spero Deum perbenigne pro sua misericordia facturum esse, vt Ecclesia mea sanari, et ad beatam ac salutarem tranquillitatem reuocari possit. Quodsi hac in re te habere socium atque cooperarium possem, procul dubio magnum breui officii mei fructum capturus essem. Iubet caesarea Maestas per litteras, quas proxime ab ea accepi, vt ex ecclesiis aliis, undecunqve possim, operarios, quos mittam in messem fidei meae commissam, euocem. Eandem quoque spartam mense proximo obtulit IACOBO BREITENBACHIO, Misnae officio clerici fungenti, causam interserens, quia vndique viros bonos, quorum opera in constituenda ecclesia sua vri possit, conquirat. Res vero maximi momenti tum temporis a IULIO gesta, elaboratio henorici est, vulgo INTERIM dicti, quod ea modo traderet, quae in religione inierim, donec concilium de credendis et agendis prae-*

praecepisset, credenda, et in faciendis sacris obseruanda sint, nec vim legis perpetuae in ecclesiasticae ignaro potest ignorari, in conficiendo conscribendoque libro isto, quo grauiores et quamplurimis principibus, ciuitatibus, familiis, sacerdotibus, Theologis Euangelicis, IO. BRENTIO inprimis, Theologo incomparabili, miro quodam ac paene incredibili ardore a Caesare, quocunque profugerat, vt ibi lateret, peruestigato, et perquisito, WOLFG. MVSCVLO, ERASM. SARCERIO, ANDR. OSIANDRO, CASP. AQVILAE, ERH. SCHNEPFIO, aliis, et hominibus cuiuscunque dignitatis et viuendi conditionis et ordinis exitiosiores turbas alius nunquam dedit in republica et ecclesia, IVLIVM primas tenuisse partes. Illi enim, et MICHAELI HELDINGIO Ep. *Merseburgensi* olim *Sidonio* in partibus infidelium, nec non Moguntini vicario seu Chorepiscopo, Luthero quondam vulgo DER LARVENBISCHOFF dicto, caeterum viro summae et dignitatis et grauitatis, Camerae quippe imperialis Spirensis iudici, et consilii sanctioris Caesarei Viennae Praesidi constituto, et IOANNI AGRICOLAE ISLEBIO, IOACHIMI II. Pr. El. Brandenburg. concionatori Aulico, qui Luthero plerumque MEISTER GRICKEL, *qui vult etiam aliquid esse*, audit, et nihil minus quam doctori *γυναικός* Euangelico ac Lutherano, Antinomorum quippe antesignano, id negotii a Caesare datum fuit, vt communicatis inter se consiliis formulam credendorum et agendorum componerent, in qua altera pars alteri aliquid concederet, vtraque pars vero ad tempus acquiesceret, quo mandato Caesaris functi quoque sunt, et consiliis suis IOANNE GROPPERO Theologo Moguntino Pontificio, de quo antea, admotum, librum composuerunt, tot acerba et dira scommata hominum vtriusque ecclesiae expertum, quot turbas in vniuerso prope imperio Germanico excitauit, cum tam Pontificiis, et ipsi Pontifici, quam Lutheranis valde displiceret, quibus praeter vsum calicis Eucharistici, et coniugium Clericorum, in isto concessum erat nihil. Mirimus et publicationem libri in Conuentu Augustano praesente Caesare, et ingentem



gentem vim a Caesare ordinibus imperii, paulo impotentioribus potissimum, factam, ut illos eo facilius ad amplectendum librum nullius pretii plenumque et erroris et periculi, non tam permoueret, quam adigeret, atque ira, minis, poenis, igne et ferro cogeret. Missus quidem Romam est ante promulgationem solennem, sed improbatus quoque a Pontifice Paulo III. qui per SFONDRATAM patrem purpuratum ad Caesarem de libro isto eiusque argumento praecipuo inter alia haec perferri iussit: *inauditum esse ut presbyter ordinatus ducat uxorem, et sacrum officium administraret; deinde consuetudinem illam sumendi Coenam Domini sub utraque specie esse obrogatam, ac praeterea in his duobus capitibus indulgendi facultatem nulli competere, praeterquam Pontifici Romano et Concilio.* At nihilo secius liber *augustanus* idibus Maii imperii ordinibus ad id conuocatis publice proponitur, ac Protestantibus, vbi non resistentibus eorum armis fieri potuit, obtruditur.

§. 9.

Nostrum est, ut ea potissimum commemoremus, quae ad IULIVM qui foetum hunc suum mire fouebat, proxime spectant, et quae ipse de hoc libro memoriae prodidit. Magno ipse quidem conatu ac nisu librum illum eiusque doctrinam per episcopatum suum diulgare studuit. Nulla alia re magis ac facilius populum in religione erudiri posse ratus, quam methodo catechetica, ipse talem Catechismum Interimisticum scripsit, quem primo anonymice, deinde vere nomen suum professus Erfordiae edidit, contra illum inprimis IOANNEM POLLICARIVM Superint. Weisensfelsensem aduersarium naclus, qui edidit: *Antwortt auf das vergiffete Buch des Bischoffs zu Naumburg.* Haud tamen destitit IULIVS a proposito, per episcopatum doctrinam Interimisticam propagandi, quem in finem edidit duos libellos, alterum: *Christliche Ermahnung an des Naumburgischen Stiffts Unterthanen und Verwandten, wes sie sich bey dem vorgefallenen höchst beschwerlichen Missverstande in Religions Sachen halten sollen, damit sie den Dingen, ihnen*

ihnen selbst zum höchsten Nachtheil nicht zu viel oder zu wenig thun, durch Herrn Iulien, Bischofen zu Naumburg, nouendecim articulos, alterum: Von Christlicher Bussē und dem Gesetz Gottes gründlicher Bericht, des sich die Seelforgere, auch das Volck zu ihrem Nutzen und Heil zu gebrauchen haben, durch Herrn Iulien, Bischofen zu Naumburg, explicacionem Decalogi, complexum, quos MATHIAS FLACIVS et IOH. POLLICARIVS acerrime impugnarunt. Si itaque neque puduit neque poenituit eum huius foetus, candide tamen fassus est, illum vbique improbari, et neutri parti placere. Tres ea de re in *Tabulario Romano* CYRIANI habentur epistolae Pflugii, parte eius III. loco IX. X. XI. Exponit ibi SIDONIO, socio suo in conscribendo libro, odium, quo prosequatur populus libellum, eiusque auctores, non enim desinere eos, qui abhorreant a quietis atque salutaribus consiliis, quae Caesarea Maieestas de religione constituerit, exagitare et acerbissime calumniari, modo pro concione, modo scriptis editis, quibus ita concitent atque inflamment populum, vt res ad motum et seditionem spectare videatur; Mauritium ipsum Electorem Hallae Saxonum conuicio certorum nebulonum male fuisse acceptum, et parum abfuisse, quin Magister Ioannes Agricola in quodam Thuringiae oppido lapidibus obrutus fuerit; coepisse etiam quosdam in ditione sua commouere multitudinem, se autem illos quoque reuocare instituisse; nec concionatores omnes huius regionis (quos Philippi Melanchthonis qui consilia secuti sunt, vulgo Adiaphoristas dictos, fuisse, neminem ignorare puto) alienos esse a declaratione Caesaris seu libro INTERIM, et dogmate Catholico (de ritibus et ceremoniis puta, quae inter Adiaphora referri coeperant) hos sibi contra aliorum furores plus quam tribunitios vtilem sane operam nauare posse, sed deesse sibi facultates, vt eorum opera non possit commode vti; quae si de pecunia illis eroganda, vt animi eorum eo facilius ad consilia et conatus Catholicorum flecterentur, intelligenda sunt, vt videtur, commode haec dicta non sunt. Idem significauit



WICELIO, apostatae, postridie V. Cal. Sept. MDXLVIII. Nec latere potuit IULIVM, foetum istum Pontificiis quoque displicere, et eorum aequae ac Lutheranorum censuram incurrisse. Isti enim palam Augustae librum INTERIM detrectabant, omnem spem mutationis vel minima ex parte in ipsorum ecclesiis suscipiendae, praecedentes, Euangelicis tamen ut liber proponatur, suadebant, caeterum aures Caesaris importunis clamoribus, de restituenda iurisdictione episcoporum et rebus ereptis repetundis ita obtundebant, ut ad Pontificios de libro isto amplius referret nihil. Quamquam vero Imperator severa cauisset lege, ne quis stylum aduersus libellum istum acueret, hac tamen lege Caesarea Pontificiorum quidam extra Germaniam terreri se haud passi sunt, quo minus calamum aduersus illum stringerent, inter quos praecipue nominantur ROBERTVS, Episc. Abrincensis, et Generalis ordinis Dominicanorum Romae, qui librum ideo sub censuram vocarunt, quod matrimonium clericorum, et communio- nem sub utraque probet, quos reprehendere videtur IULIVS in litte- ris ad THEODORICVM ATROPOEIVM eodem die datis, ubi sic: *excogitata est consilii ratio, qua languori ecclesiae medicinam facere possi- mus, SI MODO IPSI VELIMVS, nec me mouent quorundam iribunitii furores, qui a quietis et salutaribus consiliis abhorrent; hos enim vel dies mitigabit, vel auctoritas iusta reprimet, ut periculum non sit, ne populus ad aequitatem non flecti possit.*

MAVRITIVS denique El. cui INTERIM haudquaquam pro- bari non ignorabat IULIVS, ut consilia iniret cum viris partim Iuris- prudentiae, partim Theologiae scientia clarissimis, qua via inceden- dum iudicaturi sint, ut Caesaris voluntati satisfiat, salua tamen et illaesa veritate Euangelica, ac sine detrimento ecclesiae, et haberet, quid Caesari, apud quem Augustae tum haerebat, de libro illo vel pro- bato, vel repudiato in terris Saxonice, respondeat, Consiliariorum ac Theologorum prudentissimos ac doctissimos Misnae, Lipsiae bis, Pegauiae, Cellae, lüterpoci, Torgauiae, Merseburgi, Grimmae,
congre-

congregari iubet, vt de re tam ardui momenti confilia inter se confe-
 rant. Interfunt episcopi, ad id ab Electore euocati, *Misnensis* IOAN-
 NES VIII. et IVLIVS noster, qui in Actis Synodicis dicitur *Neubur-*
gensis, *Pegauensi* congregationi, cuius historia in Actis inscribitur:
De iis, quae a Theologis nostris cum Misnensi et Neuburgensi Episcopo
Pegauiae acta fuere, die 23. Aug. MDXLVIII. solus IVLIVS *lütter-*
pocensi die 16. Decembris, vterque *Lipsiensi* secundo, eodem mense.
 In *Pegauensi*, ante cuius initia Mauritius El. Georgium Pr. Anhalt.
 cum IVLIO priuatim deliberare super iis, quae Pegauiae perficienda
 sint, iubet, teste eius epistola ad *Melchiorem ab Ossa* die XIII. Aug.
 MDXLVIII. Dresdae perscripta, primo periculum fit, num con-
 ciliari possint diuersae dissidentium in religione sententiae in articulo de
 iustificatione et bonis operibus; igitur Episcopis illis Misnensi et nostro
 doctrina Euangelicorum proponitur; inquirunt in illam Episcopi,
 deleri iubent verba Euangelicorum praecipua, quibus dignosci pote-
 rat ac debebat discrimen veri et falsi, haec nimirum: *Sed quod Deo*
haec inchoata et imbecillis obedientia in hac misera, corrupta, et im-
munda natura, propter filium, in credentibus placeat, et loco horum
poni volunt: sed quod homo per spiritum sanctum renouatus, hanc
iustitiam opere efficere possit; quae plane reiiciunt Theologi nostri,
 retentis ac defensis suis. Audent quidem Episcopi de suo aliquid
 addere articulo, et assuere, atque affirmare, hoc modo articulum
 illum de iustificatione cum doctrina libri INTERIM congruere, ne-
 gante tamen MELANCHTHONE, qui Episcopis disertè indicauit,
 doctrinam de iustificatione ita comprehensam et propositam minime
 cum doctrina libri INTERIM concordare. Sed produnt mox Episco-
 pi, quod in pectore reconditum habebant, de ordinatione ministro-
 rum ecclesiae, se non posse facere, vt Sacerdotes crearent eos, qui
 vxores haberent, et in Sacramento Coenae poculo vterentur et ipsi
 et aliis exhiberent, nisi peculiari concessione hoc ipsis a Romano
 Pontifice permitteretur, vel, vt loqui solent, indulgeretur, idque
 Imperatorem in se recepisse dicebant, quod a Pontifice impetraret,
 hanc



hanc se permissionem expectare, quam antequam nanciscerentur, nihil se concedere in hac parte posse, neque introducere ea, quae liber INTERIM praescribat, et IVLIVS inprimis aperit, se nuper admodum ad Consiliarios Caesaris scripsisse, et permissionis illius impetrationem sollicitè monuisse; e quibus intelligunt Euangelici, Episcopos et inprimis IVLIVM ne id quidem sibi concedere velle, quod tamen in libro INTERIM illis iam concessum erat, eaque de causa consultum non esse rati, ut vterius cum iis disputent, et sic iure desinunt cum illis de religione colloqui; Quae manifesto sunt testimonio, IVLIVM nequaquam veritati in religione aliquid tribuisse, et nihil aliud egisse, quam ut fucò quodam modestiae ac moderationis nostris factò, et obiecta specie voluntatis reformationem et optantis et quaerentis, veteres errores pertinaciter retineret, repudiata omnino veritate; id quod contra illos tenendum esse existimo, qui sibi, nescio cur? persuadent, IVLIVM veritatis Euangelicae studiosum et amicum fuisse, modo non confessorem. Reliquum temporis solliciti magis fuerunt Episcopi de recuperanda Iurisdictione ecclesiastica, et restitutione bonorum, promissa, ut affirmabant, sibi coram Caesare, non reclamante Mauritio, quam de veritate doctrinae vel admittenda vel suo assensu comprobanda. Id tamen silentio praetereundum haud est, animum IVLII in probando libro INTERIM in conuentu illo Pegauensi vacillare multis visum esse; circumferre enim tum per ora hominum sermones, quos, fama erat, ex ore IVLII in conuentu illo auditos esse, quos autem ipse molestissime ferebat, et ut libello hac de re sub nomine, sine dubio, ficto, *Christian Lauterwahr*, obuiam iret, seque a calumniis, quas dicebat, eius defenderet, petiit ab Electore MAVRITIO, ut testes quosdam denominatos, consiliarios potissimum suos, qui fuerant in conuentu, examinari coram iudice iuberet super quaestionibus: *Zu fragen, ob in berurter Handlung zu Pegaw der Bischoff zur Naumburg ellicher grober Artickell uberwieffen? item: ob der Bischoff zur Naumburg bekanth, das noch viel falsches und abgoettisches*

goettisches Inn Interim stünde, und wan mans annehme, bestetiget würde? item: Ob der Bischoff zur Naumburg gesagt, das ebr dessen keyne Ursache were, dan ein Hispanischer Münch Dominicus de Sota genannt, heite das Interim gefelscht. Iucundum est legere responiones testium ad interrogationes istas, inprimis RVDOLPHI a BVNAV, quae sic se habet: Rudolff von Bunaw der Elter zu Drossigk, sagt vñ den erstem Artickell, das er nicht gehort, das der Bischoff zur Naumburg etlicher Artickell vberwunden were worden, und ob sie woll Lateyn durch eynonder geredt, das ebr nicht alles verstanden, so hat ebr doch solches von den Theologen nicht vermerget, und auch nicht gehort, das sie heftig mitteynander disputirt, sondern sie haben sich freunlichen unterredet; et CHRISTOPHORI a CARLOWITZ, quae IVLIVM omnino de mutatione quadam et deprauatione libri INTERIM quaedam non reticuisse, palam prodidit, his verbis: Christof von Karlowitz vñ Zoerbik sagt vñ den Ersten Artickell, das er von keyner sonderlichen Disputation wisse, sondern man hat aldo guetlichen von sachen geredt. Das aber der Bischoff von der Naumburg etlicher grober Artickell soll vberwunden sein worden, davon wisse ebr nichts. Das sey aber nicht ahne. Do Melanthon de fide geredt, vñ gesagt, das im Interim dye lezten Worth (do stehet: Et est nihilominus vera fides) das erste, so Im Interim gesetzt, wider aufhuben. Das der Bischoff von der Naumburg geantwort, solchs were de fide notitiae, et non de fide justificante, geredt. Als aber Melanthon vrgirt, das besser gewest, solche Worth aussen zu lassen, hat der Bischoff gelacht, vñ gesagt, ebr wüste woll, wie solche Worth hineyn werenn kommen. Vñ den lezten Artickell sagt ebr, Ebr habe solche Worth, das der Bischoff eyn Vrsach, vñ das ein Münch Dominicus de Sota das Interim gefelscht solte haben, nicht gehort. Sonst habe ebr woll ofte, des Dominici de Sota von Ime gedennen hoeren, aber nicht dergestalt wie der Artickell meldet. Reperta sunt haec in volumine rerum Iulianarum Gothae a CYPRIANO, et tabulario eccl. rom. P. III. loco XV. inserta, e quibus emendari possunt, quae hac de re habet ill. SECKENDORFFIVS Hist. Luth. lib. III. Sect. 25.

D

§. XCVI.



§. XCVI. litt. (i) quae enim ibi FACHSIO tribuit, CARLOWITZII sunt, et FACHSII responsio longe aliter se habet; nec uti apud SECKENDORFFIVM est, accusatus est IVLIVS ac si dixisset, edictum Carolinum, seu librum INTERIM interpolatum esse a PETRO MALVENDA Theologo Hispano, sed a monacho quodam DOMINICO de SOTA.

Arcanorum deinde Consiliorum Pr. Electoris Sax. Mauritii et Brandenb. Ioachimi II. quae inter se agitabant IUTERPOCI mense Decembri eiusdem anni particeps fuit IVLIVS: Euocauerat quidem ad se Pr. El. GEORGIVM Pr. Anhaltinum, D. PFEFFINGERVM Sup. Lipf. IOACH. CAMERARIVM, PHIL. MELANCHTHONEM et DANIELEM GRESSERVVM Sup. Dresdensem, sed vterque tantum Principum El. cum IVLIO et Consiliariis, teste MELANCHTHONE, peculiariter et soli inter se consultarunt, neque quisquam ex Theologis ad vllas in eo Conuentu Principum deliberationes adhibitus est. Constat de libro Interim in terris Saxonice aequae ac Brandenburgicis promulgando acta esse haec consilia, et librum istum post conuentum Iuterpocensem Berolini promulgatum esse pro concione per IOANNEM AGRICOLAM, quem El. Brandenb. secum adduxerat Iuterporat. Finitis vero arcanis illis consultationibus, a GEORGIO ANHALTINO, cum reliquis Theologis super Canone quaesitum est, qualis hic esset, et an ita corrigi posset, ut tolerabilis aliquis huius vsus fieret? Pronunciantibus vero Theologis, omnino non posse aliquam eius mutationem suscipi, et plane reiiciendum esse atque abrogandum, nihil amplius, tum quidem cum Theologis actum est; dilata omnia ad insequentem sine mora interiecta Conuentum Lipsiensem secundum, ad diem 22. Decembr. ibi indictum, ad quem cum Principe El. Mauritio recta Iuterpoco profectus est IVLIVS. Conuocauerat enim eo Princeps ordines Saxoniae vniuersos, simulque Episcopos, Misnensem et Numburgensem. Actum ibi inprimis de episcoporum munere,

munere, de rituum designationibus, et quousque ad extremum concedendo in ritibus mediis, adiaphoris vulgo, disciplinae ecclesiasticae et pacis causa progredi salua conscientia liceat; nec non de forma constitutionis rei ecclesiasticae in Saxonia, a Theologis conscripta et ordinibus probata, quam Princeps typis describendam se curaturum esse ait, quod probant ordines, hac tamen lege, *vt secundum Theologorum rationes atque explicationes, et ordinum approbationem illa descriptio feret, non aliter.* At enim vero Episcopos omnibus, quae reliquae erant illis, et quas tum quidem post victoriam Caesaris a Protestantibus reportatam, collegerant, viribus, ordini illi ab Electore, atque ordinibus constituto, quo minus ad ecclesias suarum quoque dioecesium penetraret, et iis etiam legis instar esset, obuiam ituros fore, dubitabat nemo. Cum his vt Princeps agere vellet, ordines petiere. Hic iubet, vt deligant ordines e suis, qui tractationibus illis cum Episcopis intersint, sed deliberatione habita detrectant omnes; ad solum Principem omnia referunt, et si ad Episcopos forte nihil proficeret, vt Consistoriis et Superintendentibus ius et potestas, quibus hactenus vsi sint, integra conferrentur, volunt. Caeterum nec Principi visum fuit, cum Episcopis hac de re agere, sed legem fert Princeps, ordinibus in consilium adhibitis, et communicatis operis cum Pastoribus ecclesiarum Euangelicarum, prorsus exclusis ab ipso Principe Episcopis: *Executionem decreti de ratione constituendae disciplinae ecclesiasticae, et efficiendae in ritibus conformitatis, atque omnem muneris episcopalis auctoritatem et potestatem, curamque ecclesiarum non episcopis, sed tribus harum terrarum consistoriis, Wittenbergensi, Lipsico et Munensi, et ecclesiarum inspectoribus commendari debere.* Relatum hoc est ad Episcopos, qui responderunt aliquanto durius, adeo vt postea apud Principem ordines ea de re questi fuerint, nec postea cum Episcopis vel a Principe, vel ab ordinibus actum ulterius est quicquam. Caeterum constat, vltimam manum nouae formulae consensus ecclesiarum Saxoniae quoad doctrinam et liturgiam, admotam esse in illo conuentu, quae ab eo dici consuevit *Interim*



Lipficum, et controuerfis vulgo sic dictis Adiaphorifticis, ingenti cum animorum distractione actis, et post triginta demum annos per formulam Concordiae ftrictè sic dictam fublatis, veram dedit originem.

§. IO.

His peractis IVLIVS ad Concilium Tridentinum, vt ibi quoque religionis fuae cauffam gerat eamque tueatur, proficifcitur, aeftate anni MDLI. Fuiſſe Tridenti anno MDLII. IVLIO III. P. M. CYPRIANVS in *Tabulario Romano* confirmat, edoctus id ex negotiorum eius geſtoris CASPARI HOYERI Roma Tridentum ad eum ſcriptis, quas habere ſe ait, epiftolis. Sed idem quoque ex SLEIDANO conſtat, qui, legati Argentinenſis reipublicae munere fungens, vna cum IVLIO concilio iſti interfuit, qui, inſtaurato per Iulium III. P. M. concilio, ante diem primum Septembris MDLI. primae ſeſſioni concilii deſtinatum, eum Romam veniſſe his teſtatum facit: *venit etiam eo Argentinenſis, et Vienneniſis, et Conſtantiendiſis et Numburgicus.* Comment. lib. XXII. ad annum 1551. et ibidem lib. XXIII. ad annum 1552. inter alia ſcribit, ex quo deſierint Theologorum diſputationes, conueniſſe quotidie patres, vt perueſtigatis omnium ſententiis, decreta conficerent, et nationis quidem Germanicae tres ad eam rem delectos fuiſſe, Colonienſem, Vienneniſem, Numburgicum, additis verbis: *Is eſt Iulius Pflugius.* Excipit ibi IVLIVS MAVRITII El. legatos ad concilium Tridentinum miſſos, die 7. Ianuarii iſtius anni, WOLFIVM COLERVVM et LEONARDVM BADEHORNIVM, quorum aduentu recreatos fuiſſe epifcopos illos, inter quos IVLIVS erat, et Caefaris oratores, SLEIDANVS teſtatur. Laudatur praeterea prudens IVLII conſilium datum, ambigue inter ſe diſceptantibus, quae ratio habenda legatorum Principum Proteſtantium, in ſedendo, an loca iis aſſignanda nec ne? an in iſtis, et principibus eorum appellandis vtendum verbis honorificis nec ne? In his rerum difficultatibus SARPIVS, *Epifcopum Numburgicum* opportunam ait tulifſe ſententiam, hunc in modum, praeuaricationem
quam-

quamcunque necessitate excusabilem esse; tum in colloquiis Germaniae, tum in comitiis super his maturo iudicio et consideratum et pronunciatum fuisse; ad maiorem tamen cautionem, publicitus attestandum, omnia fieri zelo pietatis, caritatisque studio, quae legibus cunctis sit potior, ad deuios in rectam semitam reducendos; et *absque praeiudicio*, aliasque clausulas id genus pro Iurisperitorum solertia, apponendas; Et hanc sententiam, addit, praesentibus Germanis primum, dein Hispanis, ac tandem Italis, licet tepidioribus, placuisse. Armis deinde MAVRITII, quae Caesarem fugarunt, et Tridentinos terruerunt, vt de nulla alia re magis quam de fuga cogitarent, concilium denique ipsum dissiparunt, strepentibus, IVLIVS abijt Tridento, cuius exemplum sequuntur, duo reliqui e Germanis Episcopi qui supererant, Treuirensis et Moguntinus, simulans, non longius se, quam Oenipontem ad Caesarem proficisci, nam e Saxonia quosdam delectos eo venturos, pacis cum Mauricio tractandae causa; cumque sit eiusdem ille regionis, et quidem ex praecipuis vnus, eo sibi proficiscendum esse. Et nunquam deinceps eo redijt, suspensum enim concilium die XXVIII. April. MDLII. et anni infrequentes duo isti suspensioni destinati quidem erant, sed decem annis fere integris interiectis concilium denuo celebrari coepit, duobus ante obitum senescentis IVLII annis, et post fata MAVRITII impetrante AVGVSTO ecclesiarum Saxoniae longe alia erat facies, ac antea, vt apud suos manere, quam eo redire, consultius visum fuisse IVLIO, credi queat. In arce sua Cizensē eum tum haesisse, testes sunt epistolae diuersorum ad eundem, in quibus ipsi, quid agatur Tridenti, nunciatur, et quas CYPRIANVS *in tabulario eccl. Rom. Parte III.* reposuit.

§. II.

Integrum itaque fere decennium concilium Tridentinum intermissum, etenim die XXVIII. Aprilis MDLII. Decretum suspensionis Concilii IVLIO III. P. M. et die XVIII. Ianuarii MDLXII. Decretum

cretum de celebrando Concilio P^{IO} IV. P. M. promulgatum est Tridenti. Interea I^{VLII} laudibus, ingens noui honoris decus accessit, cum FERDINANDO regi, mox Imperatori, dignus iudicaretur, quem splendidissima Praesidis Colloquii Wormaciensis anno MDLVII. a die XVIII. Aug. habiti dignitate ornaret. Sancita nimirum Pace religiosa anno MDLV. Pontificiis admodum exosa, indigne ferebant Protestantes legem illius de *Reseruatō ecclesiastico* sic dicto, cuius antiquationem saepius petierant, sed frustra, et Pontificii fremebant inuidia ob ingens beneficium pacis, et libertatis in Protestantes collatum. FERDINANDVS igitur, spe pacis in causa religionis obtinendae nondum abiecta, vt simultates istas euelleret, denuo colloquium inter Protestantes et Pontificios, male propterea a Pontifice habitus bonus Princeps, quod tale quid ausus fuerit, *Wormaciae* indicit, eo quidem consilio, vt, quod reliquum esset controuerfiarum vtriusque partis, tolleretur et sic vnitis dissidentium in religione animis, pace religiosa opus esse vltius haud videatur, aut illi his plus praesidii accederet, aut denique tollendam legem *Reseruari ecclesiastici* Protestantes non amplius quaerent, si nihil discriminis inter Partes intercederet. Delegerat quidem FERDINANDVS Rex Colloquii huius praesidem Episcopum Spirensē RVDOLPHVM de FRANCKENSTEIN, verum cum hic morbo se excusaret, ad I^{VLIVM} delatus est honor praesidii, qui mandato Regis morem gessit, et Wormaciam profectus est, consiliarium suum secum ducens BENNONEM PFLVG. Partes Colloquii habendi in se suscipiunt MICHAEL HELDING, episcopus Merseburgensis, et post illum DELPHINVS, CANISIVS, ac STAPHYLVS apostata, e nostris PHILIPPVS MELANCHTHON, et post eum EHRHARDVS SCHNEPFFIVS, IOHANNES BRENTIVS, alii. Strenue perfungitur suo quidem officio I^{VLIVS}, Colloquium incipi, et modeste animisque pacis studio deditis agi iubet, teste MELANCHTHONE, qui ea de re: *In publicis congressibus exordia erant placida; hortabatur nos praeses, vt modeste conferremus sententias, et ad concordiam mentes et voluntates flecteremus.* De modo agendi proponitur, disputan-

disputandone an scribendo negotium peragendum sit? Placuit IV-
 LIO Praesidi via prior, sed Pontificii reliqui contendunt, vt scriptis
 certaretur, quae res inter alia causam dedit abrumpendi et finiendi
 colloquii. Sed tristes illae simultates, quae Theologis Saxonis
 Electoralibus intercedebant cum Principalibus, et quas alere ac
 fouere studiosè cupiebat IULIVS, callide excogitato consilio, antea
 nihil decernendum esse, quam inter Protestantes in genere omnes,
 qui eo conuenerant, nihil amplius dissidii et discriminis esset, quod
 in tanta contentione animorum nunquam futurum esse, facile prae-
 videbat, grauitè accusatae sunt a Praeside, et in illas culpa soluti sine
 euentu colloquii translata. Nihil cum fructu agi posse affirmabat
 Praeses cum suis, nisi Protestantes antea in vnum coissent omnes,
 vt constaret sibi, de quo et cum quibus rem habeant? Volunt igitur,
 vt Protestantes publice condemnent Cinglianos, Osiandrum et
 Flacium; prius sciebat MELANCHTHONEM, postèrius Principales
 Theologos, *Ienenses* vulgo dictos, admissuros nunquam. Nunc iacta
 erat alea. Principales seu Ienenses prodeunt sine mora, et condemna-
 tiones suas publice recitant, contra *Cinglianos, Osiandrum, Adiaphoristas*,
 id est *Melanchthonem*, Adiaphoristarum principem ipsis quidem habi-
 tum, et omnes Theologos Electorales, in quas dum hi consentire
 nolunt, exhibent illi suas condemnationes Pontificiis et re infecta
 discedunt. Insistunt Pontificii, vt ii, qui remanserant, Electorales
 nimirum, damnarent, quos antea nominauerant, et nunc etiam *Schneppf-
 ianos*, id est Ienenses, a mentis suae interprete EHRHARDO
 SCHNEPFFIO ita dictos, qui abierant, quod illi recusant, polliciti,
 adhibituros se esse in singulis articulis ordine condemnationes, rebus
 prius explicatis. Res ad Regem defertur a Praeside, ille partes in
 colloquio procedere iubet, et satis esse responderet, si condemna-
 tiones proponantur ordine, cum ad articulos peruentum esset. Nihilo
 tamen fecius Pontificii, regis licet literis allatis, vterius procedere
 nolunt, et discedentibus illis, Protestantes quoque, exhibita Pro-
 testatione, discedunt mense Decembri; *ita astute*, scribit MELANCH-
 THON,



THON, *aduersarii colloquium abruperunt.* Caeterum IVLIO MELANCHTHON in petitione dimissionis a Colloquio, et alibi testimonium perhibet, *neutralem illum fuisse in gubernatione colloquii, et ut regia mandata postulassent, magno studio conatum esse perficere, ut colloquio doctrinae procederet.* Suspicionem tamen IULIVS astuti et callidi consilii capti, spem euentus de hoc colloquio conceptam frustrandi, neque apud nostros, ut dictum est, neque apud suos a se amoliri potuit. SARPIVS imprimis magnus ille historiae Concilii Tridentini conditor, id probe perspexit, qui historiae illius libro V. iudicauit, IULIVM Episcopum, quem ibi nominat *hominem sagacem et factiosum*, colloquium sine fructu dimisissim voluisse, et consilium de damnandis antea Protestantibus a se ipsis, suis persuasisse, idque artificium ac studium separandi Protestantes a se inuicem, et committendi eos cum Heluetiis, Borussia, et aliis, subodoratum esse MELANCHTHONEM, in IULIVM itaque eiusque astutiam culpam omnem soluti et abrupti consilii transferendam esse.

§. 12.

Circa id tempus ad obitum vsque IULII agitata sunt tam Principum Catholicorum, quam episcoporum quorundam tum vota tum consilia pro concedendo ac restituendo laicis calice. Precibus enim, suspiriis ac desideriiis piis ingentis hominum multitudinis commotus FERDINANDVS I. Imperator, se permoueri passus est, ut, lege in concilio Tridentino lata de communione sub vna, iudicio Episcoporum, Septemuirorum ecclesiasticorum, et catholicorum Principum, generi sui potissimum ALBERTI V. Bauariae Ducis, secuti exemplum foci sui, adiutus, summopere postularet vsu calicis pro Germania, et regionibus suis a PIO IV. P. M. Persuadebatur PIO, si calicem concedat, fore, ut trium partium Lutheranorum duae saltem in gremium et societatem ecclesiae et sedis Romanae obedientiam reversuri sint, et hac potissimum de causa postulabat Imperator a Pontifice

tifice calicis eucharistici concessionem. Postulata Caesaris ad Concilium Tridentinum et PIVM IV. P. M. inter quae loco VII. habetur *id de restituendo Calice*, IVLIO transmissit CITHARDVS, qui FERDINANDO a Confessionibus, concionibus et consiliis sacris fuit, Oeniponte Dominica Oculi An. MDLXIII. quae *tabulario Romano* inserta sunt a CYPRIANO parte I. loco VI. Ambiguus haeret Pontifex, an precibus Imperatoris locum relinquat, nec ne? relinquit tamen, magna spe utilitatis allectus, et Episcopis nonnullis die XVI. Aprilis MDLXIV. facultatem concedit, Eucharistiam sub vtraque administrandi. Inter hos Episcopos et IVLIVS noster est. Ad hunc enim BREVE APOSTOLICVM dedit PIVS IV. P. M. inscriptum: *Venerabili fratri Iulio Episcopo Numburgensi*, quod ex Autographo CYPRIANVS primo omnium loco reposuit in *Tabulario Romano*. Concedit in illo PIVS IVLIO facultatem, eligendi et depurandi catholicos sacerdotes, qui in eius prouincia vtramque speciem decenti ordine seruato, et omni offensione vitata, ministrare possint, illam deuotionis seruore petentibus; simul vero discrimen constituit inter illos, qui in gremio, vt dicit, ecclesiae romanae permanferint, et illos, qui in illud redire cupiant; Illos ante vsum Eucharistiae sub vtraque iubet *confiteri, profiteri, et credere*, in sanctissimo Eucharistiae sacramento tam sub vna quam sub vtraque specie verum et integrum Christi corpus esse, neque ecclesiam Romanam errare aut errasse in doctrina de Eucharistia sub vna; his vero, abiuratis clam palamue, id enim arbitrio et prudentiae Episcopi, prouti ratio ferat et prudentia consulat, relinquit, erroribus et haeresibus, in quibus fuerint, remisso rigore canonum, absolutis ab omnibus poenis, censuris, et sententiis, et fidelium vnitati atque sacramentis Ecclesiae restitutus, communionem sub vtraque porrigere permittit. Transmitti *Breue* illud apostolicum ad IVLIVM curauit FERDINANDVS literis die XX. Iunii MDLXIV. ad eum datis, quae tamen post mortem demum Caesaris ad IVLIVM peruenerunt, obiit enim ille die XXV. Iulii illius anni, cuius excessum e vita nunciauit MAXIMILIANVS II.

E

IVLIO



IVLIO die post. Articulos vero de prudente vsu Calicis iussu Caesaris conscriptos, ANTONIVS Archiepiscopus Pragenfis ad IVLIVM misit, vt in *Tabulario Romano* sunt Parte I. loco II. et III. Sed licet ad illum haec omnia tempestiue perlata sint, non diu tamen hic ipse superstes fuit, obiit enim III. Septembris eius anni sine coadiutore, de quo, IVLIO nostro iungendo, eum in finem, ne episcopatus ab haereticis occupetur, consilia agitata esse, docent litterae AVGVSTANI ad PFLVGIVM Cal. Ianuarii, MDLX. datae, quae sunt in *Tabulario Romano* Parte III. loco XVII. Iure igitur dubitatur, illum hac potestate sibi concessa vsu fuisse, vel vti potuisse; nec hac intermissione damni quid passae sunt ecclesiae catholicae per Episcopatum Numburgensem, seu potius *reliquiae* ecclesiae istius, quas vocabat Pontifex, partim ob crassum errorem in doctrina simul cum communionem sub vtraque propagari iussu, partim quia Pontifices, qui secuti sunt, fidem datam maxime sefellerunt, obeuntibus enim nonnullis ex Episcopis, teste PALLAVICINO in *Historia Concilii Tridentini*, quibus impertita fuerat potestas illa, dubitatum fuit a GREGORIO XIII. et SIXTO V. an *gradui illa intelligeretur tradita, adeoque perdurans in successoribus, an personis, adeoque cum eorum vita discedens?* Et hoc posterius pro vero habitum est, adeoque non obtineri vsu licitum illius concessionis, nisi a sacerdotibus, quibus memorati Episcopi viuentes contulerant. Hic fuit exitus, subiungit PALLAVICINVS, illius tam diuturni ac tam celebris postulati, qui docuit, quantum fallat spes ingentium bonorum, quae mortales praefagiunt, in obtinendis Romae quibusdam inuistatis relaxationibus.

§. 13.

Si denique acta IVLII in caussa religionis sub examen vocamus, ea omnia eo tandem rediisse intelligimus, vt pax inter dissentientes in religione, Pontificios atque Euangelicos iniretur ac stabiliretur, saluis erroribus ecclesiae romanae omnibus, ob quos tamen ecclesia
Euange-

Euangelica ab illa discesserat, et quos cum gloria Dei, veritate scripturae ac salute animorum stare haud posse, testimonio oraculorum diuinorum abunde comprobauerat. Ne vnum quidem caput Theologiae ac doctrinae salutaris afferri potest, in quo IULIVS, misso errore ecclesiae suae, veritati locum reliquisset, suos hic vel illic errasse professus sit, et reformationem, quam in tollendis abusibus nonnullis necessariam esse infortiatus haud est, in doctrina admiserit. Studio quidem pacis omnino deditus fuit, sed non studio veritatis, in cuius adyta ope eruditionis, cuius laude omnino floruit, facile penetrare potuisset, dummodo voluisset. Sed inueterato isto antiquitatis praeiudicio, opulentiae Cleri Pontificii seruandae desiderio, amicitiae Principum catholicorum retinendae cupiditate, se ab agnitione et professione veritatis retineri passus est. Cum enim tot in colloquiis theologis, quibus partim interfuit, partim praesuit, Theologos Euangelicos longe praestantissimos atque doctissimos audierit, et rationum tam pro destruendo errore, quam pro adstruenda veritate conscius fuerit omnium, quibus vsi sunt Theologi Euangelici, et quae disputando potissimum tenebras, quibus error inuolui solet, discutiunt, ac veritati egregiam lucem afferunt, nec tamen vlla ex parte veritatem consensu suo probauerit, sed ore et scriptis veteres errores proposuerit, pro iisque dimicauerit acerrime, et nihilo tamen secius pacem cum confessoribus veritatis sancire, seu vnionem ecclesiae cum damno ac detrimento veritatis stabilire habuerit in votis, merito syncretismi accusatur, qui agnitionem et professionem veritatis quam maxime impedit, dum lucem cum tenebris iungit, et errorem cum veritate vnit, quo facto veritas omnis periclitatur ac perditur. Me quidem non latent ea, quae Ill. SECKENDORFFIVS Hist. Luth. P. III. Sect. 25. §. XCVII. (i) de consolationibus eius ad aegrotos quosdam et moribundos pie et secundum veritatem euangelicam perscriptis, in medium attulit; sed quis est, qui nesciat, ex eiusmodi dictis et factis Pontificiorum cum aegrotis ac moribundis nihil omnino effici posse, vt inde probetur, eos veritati locum reliquisse,



quisse, cum in eo errore versentur, satis esse, si moribundi in agone demum ad sola vulnera et meritum Christi solum remittantur, nec committendum esse, vt sanis ac bene valentibus id solatii detur vel proponatur. Etsi igitur hos, de quibus SECKENDORFFIVS, forte et alios, imo et se ipsum, cum animam ageret, memoria vulnerum Christi et fiducia in solum eius meritum posita recreauit atque erexit, inde tamen probari nullo modo potest, eum religionem Euangelicam assensu suo probasse, cum potius crassos religionis suae errores nunquam exiit ac deposuit, nec veritatem, vt a se agnitam, confessione sua vnquam probauit.

§. 14.

Obiit tandem IVLIVS diem supremum, laudibus et meritis grauis, eiusque ossa condita sunt in choro Basilicae Cizensis, vbi et epitaphium eius teste SECKENDORFFIO in renouatione templi, cum vsibus aulae a Duce MAVRITIO aptaretur, intactum relictum est, et tam conditorium eius lapide, qui tiara et insignibus Episcopi tam gentilitiis quam episcopalibus et verbis: IVLIVS EPISCOPVS NVMB. 1564. in aere fufis ornatus est, tectum, quam monumentum eius ad fores sacrarii conspicitur, cum breui illa inscriptione et disticho, quod FABRICIVS *Rer. Memorab. Sax.* lib. II. recte exhibet hunc in modum: *Anno Domini MDLXIV. Tertia Die Septembr. Obiit Reuerendissimus In Christo Princeps Ac Dominus, D. Iulius, Electus Et Confirmatus Episcopus Numburgensis: Cuius Anima Requiescat In Pace.*

AETHEREAM IULI REVOLAVIT SPIRITVS
AVLAM

FAMA TAMEN SVPEREST, CAETERA
TERRA TENET.

Sed

Sed aliud, quod idem subiungit et diuersum est omnino ab illo, quod sub effigie eiusdem in aede Nicolaitana Cizenfi habetur, et ab eodem FABRICIO ibi quoque expressum est, vbi sit vel esse possit, plane ignoratur. Dignum tamen est, quod a nemine ignoretur, vel ideo quod in compendio quasi proponit acta IULII in religione. Adiciendum igitur et in memoriam omnibus hic reuocandum esse merito duximus:

Siste gradum hic viator: Et lege me:

Recondita Hic Ossa Vides Reuerendissimi Principis Ac Domini, Dn. Iulii, Electi Et Confirmati Episcopi Numburgensis:

Is cum ex insigni Pflugiorum familia natus esset, tum eruditionem, pietatem, prudentiam, multarumque denique rerum cognitionem, maiorum suorum dignitati adiecit: QVAE VERA VERAE SVNT NOBILITATIS ORNAMENTA:

Fuit a Consiliis duobus Imperatoribus Carolo V. et Ferdinando I.

Quorum

Alter ipsum, cum a die Electionis per V. annos Episcopatu suo inimicorum iniuriis pulsus esset, summa cum laude restituit:

Alter vero ad extremum vitae spiritum ita eum dilexit, vt in arduis negociis, autoritatem eius fecerit plurimi.

Eruditio vero quanta fuerit, scripta eius post multas aetates testabuntur.

Interfuit fere omnibus colloquiis suo tempore de religione habitis.

In Comitibus quoque Ratisbonensibus Caroli V. nomine praeses fuit.

Subditos suos, vt parens liberos: Christi pauperes, vt pius dispensator: Ecclesiae suae gregem, vt fidelis pastor gubernauit.

Vir magni fuit et animi et ingenii: Dignus certe, qui in perpetuum viueret: Nisi communis lex naturae, vt nasci ipsum, sic et mori coëgisset.



Praefuit post Exilium pacate suis, annis ferme XVIII. Aetatis annum agens L XV. Augusti mensis die XXI X. grauem morbum incidit. III. insequentis mensis die, animam sibi a Deo datam, pia in Filium DEI confessione, et magno suorum luctu ierum efflauit.

Haec te scire, Pie Lector, volui, vt quis ille aliquando fuerit, et quis nunc sit, tecum cogitans, ad ea quoque te praepares, quae vitare non potes.

Vade et Vale.

Dn. Petrus de Neumarck Doct: et Decanus Numburg: ac Ecclesiae Cicensis Praepositus: et Conradus a Breittenbach Doct: ac Decan: Cicensis: Et Iohannes de Monte: Canon: Cicens: Moesti ex testamento posuere.

Et sic finem quidem habuerunt acta IULII in religione cum fine rerum humanarum, qui venit IULIO communi mortalium sorte, sed finem nondum habet, nec vnquam habitura erit memoria tum eruditionis praeclarae, tum prudentiae singularis, tum studii vnionis in ecclesia restituendae, quod nisi macula syncretismi laborasset, ipsi longe maiorem laudem attulisset, tum etiam beneficiorum, quibus praeter egenos inprimis schola episcopalis Cicensis ab eo ex arce in coenobium Franciscanorum translata ex voluntate eius vltimis tabulis consignata etiamnum gaudet. Ex illius enim beneuola in scholam voluntate vsurae MCLXXXVIII. florenorum erogantur quotannis in termino Crucis scholae magistris, et inprimis qui inter hos quintum tenet locum, praeterea vero ex eiusdem beneficio inter Currendanos, qui dicuntur, singulis mensibus pauculum pecuniae et panis distribuitur. Non igitur post fata desit laudanda facere, dignus propterea, cuius laudes apud nos recolantur, et posteritati denuo commendentur. Id quod in praesenti feci eo libentius, quo maior laetitia, et quo laetior spes est, quae ciuitatem nostram vniuersam et inprimis Scholam Episcopalem erigit, cum Dei immortalis beneficio, et prouidae Illustris ac summe Reuerendi Consi-

Consistorii curae id tribuamus, et acceptum feramus, quod crastino die inaugurandus sit Scholae Episcopalis Rector, de duarum iamiam scholarum Numburgensium salute et commodis longe meritissimus, Clarissimus atque Doctissimus CHRISTIANVS BENEDICTVS MELCKIVS vir et eruditionis, et dexteritatis, et summae denique in instituenda iuuentute scholastica fidei dignissimis et verissimis laudibus cumulatus ab omnibus. Vt igitur constet, qualem Rectorem, MILCKIVM, virum egregium, nacti, habituri sumus, subiiciemus vitam eius, meritis laudibus a posteritate quoque ornandam atque extollendam, quando per multos, quos Deus ei benigne concedat annos! cumulum laudandorum hic quoque addiderit:

Christianus Benedictus Melckius in lucem sum editus Weisenselsae, die VI. Febr. A. MDCCXII. patre, qui argenti custodiam agebat in aula Serenissimae Principis, Fridericae Elisabethae, Iohanni Georgio, Duci Weisenselsensi, nuptae. Princeps illa beneficentissima me decem annos natum orphanotropheo dedit Langendorfsensi, prope Weisenselsam, ubi a praeceptoribus religiosissimis ad pietatem pariter atque bonas litteras summo studio sum institutus, ibique memini primum me impetum cepisse egregiis litteris seruiendi, quem ardorem cum boni magistri fouerent et alerent, ut liberali doctrina melius imbuerer, eiusdem cura Principis, quae tum vidua Longosalsis agebat, in scholam prouincialem, Portiae florentem, d. X. Nou. A. MDCCXXVII. sum delatus, Rectore IOH. DAVID. SCHREBERO, viro incomparabili, ibique sexennium integrum summa fide instructus, multisque beneficiis cumulatus, in academiam abii Wittenbergensem d. V. Octobr. A. MDCCXXXIII. spe tractus beneficii Marefchalliani, singularem mei curam suscipiente S. R. MARPERGERO, summo aulae Dresdensis antistite, a quo eodem post quadriennium Dresdam in domum Excell. POIGKII, venerandi senis, etiamnum superstitis, ad instituendos regendosque vtriusque sexus liberos sum auocatus. Quo munere sex annos functus, ex commendatione Freytagii, Rectoris Portensis, praeceptoris olim mei optimi, a Summe Reuerendo



Reuerendo Capitulo Numburg. scholae cathedralis Conrektor sum constitutus, et post quadriennium, cel. BIDERMANNO, Rectori eiusdem scholae, collegae meo, Fribergam abeunti successor sum datus. Quod munus cum octo annos obiissem, a Senatu Numburgensi ad scholam suam regendam sum euocatus, d. XXIII. Decembr. A. MDCCLIIII. Cumque statuissem finem ibi et laborandi et viuendi expectare, ab Amplissimo Grauislimoque Senatu ecclesiastico, qui Cizae est, ad scholam suam moderandam inuitor, quod summo meo in honore pono, Deumque veneror, vt et Summe Venerabile illud collegium omni felicitatis genere beet, et scholam eius quam florentissimam esse iubeat.

Hic cum castina luce a nobis in scholam ducendus, et discipuli cum vniuersa schola eius institutioni, amoris et curae paternae tradendi sint et commendandi, orationem inauguralem habiturus est: *de magistro scholae non ambitioso sed salubri.* Ad quam beneuole audiendam et solemnna inaugurationis illius concelebranda, vt Viri nobilitate generis illustres, eruditionis laude atque officiorum dignitate maxime conspicui, et quotquot litteris et scholae nostrae ex animo bene cupiunt, cras hora IX. matutina in auditorio maiori conueniant, et scholae salutem coniunctis viribus et precibus mecum et cum vniuersa ciuitate a Deo efflagitent, et omnibus quibus possunt, votis, expetant, ea qua par est, reuerentia, obseruantia, et humanitate oro rogoque. P. P. die XVI. mensis Octobris

A. R. S. H. MDCCLXXIIII.



X 2400 175

X 3365 DA

m.c





Q. Nr. 187.

III. 648

ACTA
IVLII PFLVGII
EPISCOPI NVMBVRGBENSIS
IN CAVSSA RELIGIONIS
PERCENSET
ET
INAVGVRATIONEM RECTORIS
SCHOLAE EPISCOPALIS CIZENSIS
INDICIT
FRIDERICVS IMMANVEL SCHWARZIVS
S. S. THEOL. D. SVPERINTENDENS ET CONSISTORIALIS
CIZENSIS, SCHOLAE EPHORVS.

EISENBERGAE,
EX OFFICINA WALTHERIANA.

